

more posatum , & spei certæ fuerit , ut ex supra relatis patet. Dea quoq; Hygæa quæ Sanitas est , poculum dextera , & sinistra Viperam retinebat , quod in plurib. Imperatorum numismatibus vidimus , perinde ac si vipereum quid epotum & dextera porrectum , salubre ; sinistra verò , retentam Viperam vivam noxam designabat ; quare ab Ægyptijs , & Arabibus , & Troglodyticis populis , pro epulis passim conquirebantur . Apud antiquos igitur ut nunc in mensa receptas fuisse legimus , quod etiam Galenus pluribus in locis confirmat . Qui modò occidentales nuper reper-  
tas insulas incolunt , his ut nos anguillis utun-  
tur , perinde ac , qui ultra Indum habitant , idem facere consueverunt , Plinio auctore lib.  
7. cap. 2. & à nobis alibi dicitur . Cyrnos  
Indorum genus , Isigonus tradit annos cente-  
nos & quadragenos vivere . Item Æthio-  
pas , & Macrobius , & Seras existimat , & qui  
Athon montem incolunt ; hos quidem tan-  
diù , quia Viperinis alantur carnibus . Cum  
igitur hujusmodi & alia , atq; diversa in do-  
ctissimorum hominum voluminibus me-  
moriæ prodita fuerint , sed dispersa , & dissipata , ac penè contraria , industria quadam , or-  
dine , & ratione in unum libellum collecta  
sunt , capitibus sub unum aspectum proposi-  
tis.